

» copus consilium ac remedium postulans exponit in iis potissimum circumstantiis, in quibus facile patet, coniugem acatholicum nulla ratione ab haeretica pravitate resilire velle, cum de caetero in praecitata Traiectensi, ubi praeter dubium concernens validitatem matrimonii inter haeticum et catholicam initi, discussum quoque fuit, num quatenus invalidum illud iudicaretur, concedenda esset facultas caute renovandi consensum coram parcho catholico, sac. congreg. noluerit quidpiam circa id respondere, tametsi matrimonium irritum esse censuerit.»

Alterum, quod animadvertere nobis proposuimus, illa spectat coniugia, quae licet ab initio nulla fuerint, utpote celebrata coram haeretico ministro in regionibus, in quibus publicatum est Tridentinum decretum *Tametsi*, deinde valida facta sunt, si renovatus postea fuerit consensus coram solo ministro protestante, aut publico magistratu iuxta civiles leges, ubi illud decretum promulgatum non est. Hoc perspicue significatum habemus in variis resolutionibus a sancta Sede emissis. Nos exempli causa unam aut alteram hic iam subiicimus.

Itaque propositum fuit supremae SS. inquisitionis congregationi dubium ab officiali dioecetano Parisiensi de quodam coniugio an. 1832. inito Parisiis coram solo magistratu civili inter Caeciliam catholicam et Alphonsum calvinianum, quorum uterque nati ac educati fuerant Lutetiae. Contrahentes post biennium se in Angliam contulerunt, ubi ortis dissidiis, vir se recepit in Americam ubi cum altera muliere matrimonium contraxit, Caecilia pariter se matrimonio iunxit cum anglo catholico coram parcho catholico. Cumque scrupulis conscientiae agigaretur Caecilia, Parisios rediit, et casum suum confessario exposuit, qui dubitanter respondit, primum coniugium invalidum fuisse clandestinitatis vitio, validumque secundum; contra vero confessarius alter ei respondit primum *illicitum* fuisse coniugium, sed *validum* eo quod pseudo-reformati iam non teneantur in Gallia impedimento dirimente clandestinitatis a conc. Tridentino inducto, quia licet vivant in regno, ubi

promulgatum est concilii decretum, habent tamen statum civilem, et liberum suae religionis exercitium; nec velle Ecclesiam tot inter ipsos matrimonia contracta in Galliis absque praesentia parochi, esse concubinatus, et illud quasi privilegium factum parti acatholicae communicari parti catholicae cum illa contrahenti propter individuitatem contractus. Attamen sac. congreg. an. 1842. resp. « Quatenus Caecilia et Alphonsus Parisiense domicilium relinquentes, et in Angliam migrantes ibi scientes matrimonii Parisiensis nullitatem, *novo illud consensu non revalidaverint*, secundum matrimonium Caeciliae fuisse *validum*, secus *nullum*; » nempe nullum fuisse primum matrimonium, si in Anglia, ubi decretum Tridentinum publicatum non est, consensum non renovassent.

Item proposito dubio, num validum censendum foret matrimonium inter catholicam mulierem et virum acatholicum Lutetiae pariter Parisiorum initum coram haeretico ministro, quod postea ob exorta inter coniuges dissidia, vir dissolverat, atque adeo cum altera connubium celebraverat, a sac. inquisit. die 5. Iulii 1848. ita resolutum fuit: « Matrimonium, de quo agitur, iuxta exposita esse *nullum*, dummodo contrahentes aliquo alio in loco, in quo Tridentinum publicatum non fuit, scientes Parisiensis matrimonii nullitatem, *novo illud consensu non revalidaverint*, ideoque nihil obstare, quominus oratrix, praevia absoluteione a censuris, et impositis poenitentis salutaribus, ad alias nuptias licite ac valide transire valeat. » Ergo per novum consensum, qui iis in locis, in quibus praedictum decretum Tridentinum publicatum non est, coram haeretico ministro, aut publico magistratu praebeatur, matrimonium prius irritum, validum fieri potest.

Rursum ab eadem sacra congreg., probante summo pontifice, in pari casu haec data est resolutio die 13. Augusti 1849. « Sanctiss. etc. audito eminentiss. inquisitorum generalium suffragio, ac referente me infrascripto supremae inquisitionis assessore, in casu, de quo agitur, mandavit rescribi: Si vera sunt exposita, satis constare, matrimonium quod anno 1832.

» catholica N. contraxit cum viro potestante N. sine praesentia
 » parochi catholici fuisse nulliter contractum, ac proinde, *si*
 » *illud nunquam fuit revalidatum*, posse eandem N. transire
 » ad alias nuptias cum viro tamen catholico, dummodo nullum
 » aliud obstet impedimentum, praevia etc. » Eadem porro est
 ratio coniugiorum, quae haeretici inter se in iisdem rerum
 adiunctis inirent, atque coniugiorum mixtorum; adeoque si
 illorum nuptiae fuerint instauratae, ubi nunquam viguit Tri-
 dentinum decretum, eae validae erunt censendae.

Tertio animadvertendum est, quemadmodum iam innuimus,
 atque ex dictis clare colligitur, generalem regulam, qua clan-
 destina matrimonia haeticorum et mixta dicuntur invalida,
 suas exceptiones habere, quas declaravit Pius VII. in Brevi ad
 archiep. Moguntinum dato die 8. Octobr. 1803. Cum enim expo-
 sisset nonnullorum theologorum sententiam « matrimonia
 » haeticorum coram ministro acatholico inita *generatim* nulla
 » esse, atque adeo validas fore secundae eorum nuptias, si modo
 » coram catholico parcho contrahantur, *nec, undique vera est*
 » *nec satis tuta*, neque ideo in praxi quibuscumque in casi-
 » bus indiscriminatim sequenda. Probe enim novit Fraternitas
 » tua, huius generis matrimonia rata et firma consistere, iis in
 » locis, in quibus concilii Tridentini decretum *vel nunquam*
 » *publicatum fuit* (71), vel nunquam observatum tanquam
 » eiusdem concilii decretum, vel, si quando observatum fuit,
 » longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiit. Hinc
 » factum est, ut praefata opinio, quae matrimonia inter haere-
 » ticos contracta coram ministro acatholico *generatim* nulla et
 » irrita esse propugnat, adversarios semper habuerit et numero
 » plures et auctoritate praestantissimos, adeo ut vix aliquem
 » retinuerit probabilitatis gradum, maxime post editam a

(71) Haec verba desunt in hoc Brevi vulgato a Roskovány loc. mox citando;
 at inveniuntur in authentico mss. quod Romae asservatur, quodque prae
 oculis habui, in eo haec postilla opposita est. « Breve riformato dell'Emo Anto-
 » nelli col l' intelligenza dell'Emo Di Pietro e spedito li 9. Ott. 1803. all' elettore
 » di Magonza. »

» Benedicto XIV. an. 1744. pro matrimoniis Hollandiae cele-
 » berrimam declarationem. Cave igitur, ven. fr. tuoque exem-
 » plo tuisque monitis edoce episcopos suffraganeos tuos, ne in
 » praefatis matrimonialibus casibus expendendis et diiudicandis
 » pravis hisce doctrinis, fallacibusque rationibus decipiantur,
 » sed concilii Tridentini canones et decretum adamussim obser-
 » vent et sequantur (72). »

Hactenus quidem Pius VII. ubi animadvertendum est illorum
 theologorum opinionem ab ipso reprobari, qui *generatim* tan-
 quam nulla ac irrita autumabant esse haeticorum inter se
 celebrata connubia, adeoque ubi etiam non fuerat publicatum
 concilium Tridentinum, aut *nunquam observatum* tanquam
 eiusdem concilii decretum, aut si quando observatum fuit, longo
 dein temporis intervallo in desuetudinem abiit; item ubi Bene-
 dictina declaratio extensa est, ut liquet ex allatis eius verbis.
 Quam sententiam merito uti improbabilem pontifex reiicit;
 minime vero disserit de illorum sententia, quam sequuta est
 constanterque sequitur ecclesia Romana, ut ostendimus, relate
 ad matrimonia ab haeticis inter se inita coram ministro acatho-
 lico iis in locis, in quibus decretum Tridentinum publicatum,
 atque ut tale observatum est, alioquin sibi ipse contradixisset,
 qui non semel vel per se, vel per organum congregationum eius-
 modi coniugia nulla ac irrita ipse edixit (73).

Hac animadversione ad omnem aequivocationem eliminan-
 dam praemissa, patet ex Pii VII. verbis non modo valida ha-
 benda esse acatholicorum coniugia vel inter se inita coram
 ministro acatholico, vel cum catholicis ubi promulgatum non
 est decretum Tridentinum, aut ubi extensa est Benedictina
 declaratio, verum etiam ubi etsi publicatum vel nunquam
 observatum est ut decretum concilii, aut a longo temporis inter-

(72) Apud Roskovány *Monumenta catholica* tom. II. pag. 86. 94 seq. Quam-
 vis in hac publicatione reperiantur nonnullae variantes ab authentico nuper
 citato, tamen prae omnibus quae impressa sunt, est magis accurata.

(73) Recolantur resolutiones, quas in art. praecedenti retulimus ex congreg.
 S. Officii an. 1808. nec non an. 1829. et an. 1817.

vallo in desuetudinem abierit. Circa quam postremam clausulam cum dubium suboriri possit, quodnam temporis intervalum requiratur et sufficiat ad illam *desuetudinem* inducendam, ut connubia valida haberi debeant, in casibus particularibus Sedes apostolica est consulenda, quae spectatis omnibus rerum adiunctis, decernet quod in ipsis iudicium ferendum sit.

Quarto, occurrendum est iniustis hac de re haereticorum querelis, si quas forte moverent. Sententia, quae docet, invalida esse christiana matrimonia non modo haereticorum inter se, verum etiam mixta ob ecclesiasticum clandestinitatis impedimentum, dubio procul iras excitat haereticorum, qui nullatenus ferre possunt, ut Ecclesia, quam ipsi reiiciunt, ius suum in eorum etiam matrimonia adhuc dum tueatur. Accusabunt Ecclesiam perinde ac si sibi in eos ius arroget, qui eius auctoritati non subsunt. At num ideo Ecclesia ius amittit, quia rebelles subditi obedientiam detrectant? Num protestantium irae et querelae efficient, ut matrimonia, quae ex Ecclesiae lege sunt irrita, valida evadant ac legitima? Si clandestina haereticorum matrimonia sunt irrita, haeretici nullo modo de Ecclesia queri possunt, quae iure suo utitur impedimentum clandestinitatis instituendo. Caeterum practice non est cur hac sententia protestantes, aut acatholici in genere admodum permoveantur.

Etenim praeter quam quod ad omnes fere regiones, quae subduntur principibus acatholicis extensa est Benedictina declaratio, qua valida decernuntur connubia utriusque speciei, immo etiam quandoque ad regiones, in quibus principes catholici dominantur, ut in insequenti articulo allatis documentis ostendimus, duae illae, quas recensuimus, Pii VII. verbis exceptiones, haud parum conferunt ad tranquillitatem inducendam. Quamvis enim alicubi ab initio publicatum fuerit Tridentinum decretum, si tamen ob rerum perturbationes ac vicissitudines aut *nunquam* fuerit observatum, aut a multo tempore in *desuetudinem* abierit, perinde est ad effectum, quod attinet, ac si nunquam promulgatum fuisset; adeoque coniugia quae, forma Tridentini neglecta, sive coram ministro haeretico, sive coram magistratu cele-

brata sunt, quicumque fuerint contrahentes, ex impedimento clandestinitatis non sunt invalida.

Accedit, in nonnullis peculiaribus rerum adiunctis, uti constat ex allatis documentis, sanctam Sedem praescripsisse, ut, si qui in bona fide, ut aiunt, circa initas nuptias reperiantur, in eadem relinquuntur, neque arceri, si ad catholicam fidem pervenerint, a sacramentorum susceptione, aut quavis ratione iis creari molestia debeat. Quod si post aut amborum coniugum, aut alterutrius conversionem conscientiae scrupuli insurgant, ac periculum timeatur a renovatione consensus coram parochio catholico, Sedes apostolica consulatur, quae in casibus particularibus decernet quid facto opus sit. Qua agendi ratione profecto nihil mitius, suavius nihil ac prudentius excogitari potest. Talis semper fuit spiritus lenitatis, quo Rom. Sedes informata est. Utinam eodem spiritu informarentur acatholici, qui tanto interdum in eam furere odio consueverunt.

ARTICULUS III. — Quaestio exponitur historica ubinam Tridentinum decretum de Matrimoniis clandestinis publicatum fuerit, ac ubinam auctoritate apostolica eidem derogatum.

Post solutam theoretice quaestionem iuridicam de clandestinis matrimoniis sive mixtis sive haereticorum, ut practicae quaestiones singulares solvi facile possint, restat ut historice exponamus et propriis documentis confirmemus, primo quidem ubinam Tridentinum decretum publicatum fuerit, vel non; ubinam deinceps Benedictina declaratio fuerit extensa.

Quamvis autem nulli pepercerimus diligentiae ad elenchum sive positivum, sive negativum conficiendum locorum, in quibus Tridentinum decretum fuit publicatum, et in quibus promulgatum non est, ac sategerimus opportunis communire documentis, profiteamur tamen hunc nostrum elenchum, etsi caeteris, qui hactenus exhibiti sunt, plenior, nondum tamen esse omnino completum absolutumque. De cunctis enim orbis christiani regionibus statuere, fuerit in iis necne promulgatum decre-